

incertis euentibus, quorum si. 4. illi pro se, nos decē pro nobis in medium afferemus? Quare leuissimæ obseruationes omittantur, quæ uulgus pascuunt ac fallunt. negligantur, si rationibus & argumentis nixi, uiam & latebras ueritatis uolumus inuestigare. Quæro igitur ab astrologo, unde sit prima et potior prodigiū uis, num à cometis ardere uel à cœlo, uel potius ab ipso numine? A Cometa quatenus tenus est, hoc est corpus ex fumis & à fumo ardente sub cœlo (quāquam & hoc fieri nego) que insidiæ principibus neſtentur? aut propria gignentur mala? Siderum autem nec numerus certus, nec materia, nec locus, minimè autem propriæ ac singulares uires nobis apertæ sunt, si à lumine, radiorū calore, uel tempore discedat. Quis enim illas in stellis uel homini, uel terrestribus aut aquatilibus beluis infestas uires uerè unquā nouit? de Deo inferius agam, ubi cum Theologis disputabo.

Quid autem in cometa nisi amicum, & periucundum? imo etiam salutare? si æthereus Cometa, ergo non malus, omnia salua. Nam Cœlum optimum est, & salutis causa excellens, uti purum, & unius tenoris, in luce in radio, in forma, in ipso numero, in eterna equabiliq; cōuersione. Si minus amicas diceret Martis, & Saturni stellas, atque ea rem minus bonos aliquos Cometas, paulò fortasse minus errarent.

Concederem non adeò bonum esse id quod minus lucidum, ac minus calorificum sit. Sed minorem caloris & fulgoris gradum haberi pro summa pernitie concedendum Astrologo nequaquam est. Videant porrò isti quàm non acerbè agam. Esto sit ex fumis Cometa: ardeat ista moles aspirationum. Dico nullum esse ab eo igne malum à quo ne calor quidem esse possit. Nam ignis est acer & adurens qui in denso fomite ardeat, si uerò in tenui ardor quidem est
&